



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitate ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

An sint plures sensus literales eiusdem loci. cap. 4.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Adam.
Salmeron.
Ruger.

XI.

S. Thom.
Burgens.

Syluest.
Adam.

Bellarmin.

Molina.

Salmer.

Galarza.

lem, & mytticum, alij in plura & pauciora membra, vt videre est apud Adam. & Salmeron. citatos, & fufius apud Iulium Ruger. opuscul. citato à cap. 5. vsque ad 9.

Hi verò sensus omnes reperiri possunt in viroque testamento in eademmet sententia: non tamen est opus, vt singulæ omnes contineant, sed solus literalis ex necessitate requiritur. Tota hac doctrina traditur à D. Thom. citato quodlibet. art. 13. ad quintum, Paulo Burgens. in addit. super primum & secundum prologum, Liran. circa secundum dubium, Syluest. tract. citato cap. 7. Adamo in prologo in Esaiam, Bellarmin. cap. 8. citato, Molina. art. cit. d. 4. Salmer. prolegom. 19. & Galarza vbi proximè, prima eius pars in primis quoad vetus testamentum est manifesta in opere sanctuarij: ibi enim præter sensum literalem de ordine, ac ratione caeremoniarum, & sacrificiorum legalium continebatur sensus allegoricus adimplendus in Christo & in Ecclesiâ: item anagogicus quoad repræsentationem tabernaculi celestis, & sacrificij laudis laborum confitentium Deo in æternum, ac dicentium, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, &c. denique moralis, quatenus ex caeremonijs illis, & cultu externo diuini numinis instruuntur homines ad cultum internum. In nouo autem testamento in vna historia ingressus Christi sedentis super asinam in sanctam ciuitatem possunt omnes reperiri, moralem assignauit Chrysostomus in cap. 21. Matth. cum ait eo factò Christum nobis regulam reliquisse, ne maiora requiramus, quam necessarius vsus exigit. Hieronym. tetigit allegoricum, cum dicit factum Apostolorum vestimenta sua ponentium super asinam Christo sessuro, significare opus esse animæ dogmatibus Apostolicis, vt super eam Christus sedeat. Denique idem Hieron. Remigius. Rem. & alij tradunt anagogicum, cum aiunt illū Christi ingressum in terrestrem Hierusalem fuisse figuram introitus in celestem. Quapropter reiiciendus Abulens. quæst. 28. in cap. 13. Matth. qui in testamento nouo non agnoscit sensum allegoricum inductus auctoritate Aug. lib. de vtilitate credendi cap. 3. ex eo enim quod ille ait testamentum vetus quadrifariam exponi, colligit non eodem modo exponi nouum, etenim Augustin. ipse, vt notat Bellarmin. vbi proximè, loca aliqua noui testamenti explicauit allegoricè, vt tractat. 122. in Ioan. & alibi. Deinde vero eo loco non adhibuit terminum exclusiuum: sed forte ita locutus est, quoniam vetus testamentum erat vmbra futurorum bonorum,

in quo omnia in figura contingebant, & ideo magis ferax est allegoriarum, at in nouo in quo reuelatur veritas olim adumbrata, non tam frequenter inueniuntur allegoria: non tamen hoc tollit quo minus etiam reperiantur aliqua. Nam vt ait Chrysost. citatus, Dominus ita prophetias adimplebat, vt alterius prophetiæ ipse daret initium, quæ futura erant ipsis factis significando: quia nimirum vt ait D. Thom. loco citato, ipsum verum Christi corpus & ea, quæ ab ipso vel in ipso geruntur, sunt figura corporis mystici eiusdem Christi, hoc est Ecclesiæ, & eorum quæ in ipsa geruntur, & ideo ea, quæ ad literam de Christo ipso dicuntur, possunt allegoricè exponi referendo ad corpus eius mysticum & moraliter referendo ad actus nostros, qui ad eius exemplar reformari debent; tandem anagogicè, quatenus in ipso est nobis iter ad gloriam demonstratum. Secunda pars perspicua est cuius mediocriter versato in sacris literis; non enim in quauis sententia Patres omnes sensus agnoscunt. Tertia vero asseritur præter Doctores citatos à Castellano, Collatione 8. cap. 3. Abulens. citato, Abulens. Henrico, art. 16. quæst. 4. & Driedone, Henric. cap. 2. citato, & patet in nouo testamento, maximè in ijs sententijs, quæ de futuro statu gloriæ loquuntur, quæ enim allegoria, quæ tropologia aut anagogia cernitur in illis verbis ad Coloss. 3. cum autem apparuerit Christus vita vestra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria, vel in illis, 1. Ioan. 3. cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est. Ratio D. Thom. est, quoniam priora sunt figura posteriorum, non e contra: atque adeo, quæ pertinent ad beatificum, vt pote postrema omnium, quæ sacris literis continentur, sunt figurata, non vero figuræ: ideoque sensus literalis de futura beatitudine, nequit esse fundamentum sensuum spiritualium.

An sint plures sensus literales eiusdem loci.

CAPVT IV.

Eodem Scripturæ loco plures sensus literales contineri negarunt Alenf. 1. p. quæst. 1. m. 4. à 2. ad vltimum, & 4. p. quæst. 15. m. 4. art. 1. in corp. Albert. tract. 1. sum. quæst. 5. m. 2. ad quintum, Henric. in sum. art. 16. quæst. 2. ad secundum, & quæst. 3. Eandem sententiam ex professo defendit Michaël Medina de recta in Deum fide, lib. 6. cap. 25. probat autem

primo,

primo, quoniam opposita adiumenta est ab auctoribus, ut defendant testimonia quædam instrumenti veteris, quæ habent alium sensum literalem, recitata esse ab Evangelistis & Apostolis in sensu literaliter diuerso: ad quod sat est, ut accipiantur in sensu mystico, ut fuscè ostendit. Secundò scriptor sacer non erat purus amanuensis, qui solum verborum sonum percipit, & sententiam non intelligit: sed scribendo conceptus suæ mentis exprimere volebat: quare ille est sensus literalis, quem is intendebat: est autem præter consuetudinem scribentium, ut eisdem verbis plura intelligant: ideoque non credendum ita accidisse. Tertiò nulla ex hoc sequitur utilitas Ecclesiæ: nam in tali Scriptura necessariò interueniret æquiuocatio, hæc autem tenet lectorem incertum, ac suspensum de significatione, ac veritate sententiæ. Denique nullus locus proferetur, qui non explicetur commodè in primis literaliter, deinde vero mystice: quapropter, cum hoc non aliunde possit ostendi, sine fundamento asseritur.

II. Contrariam sententiam Abulens. existimat de fide quæst. 57. in cap. 2. Matth. & quæstion. 28. in cap. 13. Fundamentum ad Hebr. 1. ipsius est, quoniam Paul. ad Hebr. 1. ex illo 1. Paralip. 22. *Ego ero illi in patrem, &c.* probat Christi diuinitatem, argumentum autem à sensu mystico non est validum: intelligitur vero locus ille ad literam etiam de Salomone, iuxta seriem contextus, & communem expositionem. Ergo illius loci necessariò sunt duo sensus literales. Secundò non potest dici Scripturam impleri, nisi secundum sensum literalem: at de aliquibus locis Scripturæ habentibus aliquem sensum literalem manifestum alibi dicitur impletas fuisse in alio sensu: ergo necessariò eiusdem loci plures sensus concedendi sunt. Minorem ostendit ex illo, Exod. 12. *Os non comminuetis ex eo*: nam ad literam intelligitur de agno paschali, & tamen, Ioan. 19. dicitur de Christo, *hoc autem factum est ut impleveretur Scriptura, quæ dicit, Os non comminuetis ex eo*. Similiter, Osee. 12. dicitur de populo Israelitico, *ex Aegypto vocauimus meum*. & tamen, Matth. cap. 2. accommodatur Christo illis verbis, *ut adimpleveretur quod dictum est à Domino, &c.* Maiorem probat multipliciter: primo quoniam tunc dicitur compleri Scriptura, quando fit id, quod per eam significatur: at sensus mystici non significantur per Scripturam, sed per res significatas per

Scripturam. Secundò quoniam Scriptura quando impletur, verificatur: & tamen in sensu mystico Scriptura nunquam est vera, vel falsa, ergo in sensu mystico non impletur, Minor probatur, tum quia propositio tunc est vera, vel falsa, quando res ita se habet, vel aliter, quam ipsa significet: at sensus mystici non sunt sensus Scripturæ, sed rerum significatarum per Scripturam: tum quia sensus mystici sæpè sunt discordantes, & contrarij: si igitur ab illis Scriptura fumeret veritatem, & falsitatem, esset simul vera, & falsa: quod est absurdum. Tertiò quia alioqui tolleretur omnis certitudo Scripturarum: nam, cum qualibet Scriptura possit habere tot sensus mysticos, quot ei voluerimus applicare, nesciremus quando esset impleta; imò nunquam putarem esse impletam, quia semper sunt alij sensus applicabiles.

Dico primò. Non est de fide, aut fidei proximum eundem locum Scripturæ habere plures sensus literales, hoc patet ex auctoribus citatis in contrariam partem, non enim credendum est viros tam doctos asserturos fuisse aliquid contra fidem: & ira Cardinal. Bellarmin. lib. 3. de verbi Dei interpretatione, cap. 3. sententiam affirmantem non improbabilem appellat, quasi nullam maiorem certitudinem habeat, quare rigida videtur censura qua Bannes. 1. parte quæst. 1. art. 10. dubio 7. conclusionem 3. oppositam notat, vocans eam temerariam, ad hoc enim requiritur, ut saltem sit contra communem Theologorum: at sententia negans non est: nam habet bonos auctores, nempe Alens. Albert. Henric. & Medin. supra citatos, pro sententia vero affirmante ex antiquis Theologis præter Diuum Thomam, ferè nullus refertur: sed solum recentiores, ijque non sunt tot, ut tantam certitudinem sententiæ affirmanti concilient, ut opposita temeritatis notam mereatur. Probatur autem quoniam eiusmodi sententia nec habetur in sacris literis, aut Apostolorum traditione non est ab Ecclesia definita, aut communi Patrum consensione recepta, tametsi enim plerique Patres eadem loca nunc hoc, nunc illo modo interpretentur, tamen id facere potuerunt ex studio assequendi proprium sensum literalem: quem quia certo non deprehendebant, varios excogitabant secundum regulam fidei, ut lectori fieret optio eligendi optimum, nec vero clarè asseruerunt dari posse duos sensus literales eiusdem loci.

III.

Bellarmin.

Bannes.

Chrysof.

Basilus.

Hieronym.

Nam præter Augustinum ceteri, quorum testimonia ad hoc institutum adducuntur, explicari aliter possunt: nempe Chrysof. homil. 21. in Genes. ubi tantum loquitur de fecunditate vniuersæ scripturæ, & sensum eius in vniuersum: & ideo explicari potest de multiplicitate sensuum literalis, ac mystici, & huius varietate, non vero de pluritate solius literalis. Basilus autem, cum in procemio operis de Spiritu sancto docet scripturæ sacræ literas, & apices expendendos, non voces solum, & orationes, de vniuersa scriptura loquitur: cuius etiam, quando vnicum tantum sensum literalem habet, omnia illa consideranda sunt: Id verò, quod Diuus Hieronym. Epistola 103. quæ est ad Paulinum de Apocalypsi ait: *Ioannes tot habet Sacramenta quot verba, parum dixi pro merito voluminis, laus omnis inferior est, in verbis singulis multiplices latent intelligentia.* Exponi congruè potest de sensibus mysticis, ut indicant verba illa, *tot habet sacramenta*, quæ potius sonare videntur sensum figuratum, & latentè sub literali, quàm literalem: quod colligitur ex simili phrasi in eadem Epistola ubi sermo est de Leuitico in quo: *singula, inquit, sacrificia, imò singula penè syllaba, & vestes Aaron, & totus ordo Leuiticus spirant celestia Sacramenta;* quod de sensibus mysticis absque dubio intelligi debet, non enim secundum literalem est tam fecundus ille liber, qui totus quoad literam versatur in cæremoniis legis: præterea intolerabilis esset hyperbole, asserere in singulis verbis esse multiplices sensus literales, quod dictum de mysticis tolerabilius, ac verius est: nec obstat quod aliqui dicunt Hieronym. non loqui de sensibus mysticis, quoniam horum fecundius est testamentum vetus, quam nouum. Non enim hoc necessario concedendum est, si singulos vesteris testamenti libros consideremus, & cum singulis noui comparemus. Accedit quod Hieronym. scripta Ioann. non cum illis comparat, sed cum alijs noui testamenti libris, de quibus post vetus cœpit agere, maximè quia iam similia dixerat de nonnullis libris veteris testamenti, nempe de libro Iob. de quo sic ait: *singula in eo verba plena sunt sensibus.* & de Leuitico dixerat etiam singulas syllabas plenas esse Sacramentis.

IV.

Ad primum argumentum Abul. negandum est antecedens: tamen enim sensus allegoricus, quamdiu latet, non sit efficax argumentum fidei, cum tamen sit intentus à Spiritu sancto, suapte natura vim

habet, ut ostendam inferius, cap. sequenti. Esse verò Salomonem typum Christi notum erat apud Hebræos, cum quibus Paulus loquebatur, & ideo potuit ex sensu mystico eius loci probare diuinitatem Christi. Ad secundum argumentum respondetur, quamdiu sensus literalis non est impletus, nequaquàm dici impleri scripturam, per spirituales: quoniam ordo rei postulat, ut id, quod primo, ac per se verbis significatur, fiat prius tamquam figura rei per ipsum significata: cum verò literalis adimpletus est, tunc verè dici posse impleri scripturam, ratione secundarij significati: nam cum primarium iam sit completum, cum dicitur adimpleri scripturam, satis indicatur sermonem esse de figurato per primarium: at vero duæ illæ sententiæ, *Os non comminuetis ex eo, & ex Aegypto vocauimus meum:* iam fuerant impleta quoad primum significatum verborum scripturæ: ideoque satis indicatur sermonem esse de adimplerione secundarij, siue spiritualis significati: posse vero ita dici constat ex Patribus, qui eiusmodi loca adimpleta dicunt secundum sensum mysticum, de primo loco id asserunt August. tract. 12. & August. Chrysof. homil. 84. in Ioann. Theophyl. Chrysof. lactus & S. Thom. in c. 19. Ioannis. De se cundo Hier. in c. 11. Osee, Chrysof. homil. 8. in Matth. Theophyl. & S. Thom. in c. 2. Matthæi, & alij ibidem. Ad primam eiusdem maioris confirmationem respondeo tunc adimpleri scripturam, quando adimpletur complete, non solum quoad ipsum verborum significatum, sed etiam quoad secundarium, ac figuratum: per metonimiam enim sumitur continens pro contento, & idem est dicere adimpletam esse scripturam, ac figuram per eam primo significatam: nam quia significatum continetur in signo, dicitur adimpleri signum, cum completur id, quod figurat significatum: præsertim cum auctor signi intendat per illud remotè significare figuratum, interuentu figuræ, ut se res habet in sacris literis. Secundæ confirmationis assumptio neganda est: nam sicut scripturæ remotè significant figurata, ita ea significando sunt veræ, & eorum adimplerione verificantur: cum verò ad huius impugnationem dicitur sensum mysticum non esse sensum scripturæ, concedendum est, si intelligatur de proximo, atque immediato; negandum, si de remoto. Et hoc sufficit ad veritatem: cum rursus obijciatur esse contrarios, negandum est. Licet enim possint esse disparati, hoc est, non habentes necessariam connexionem inter se, non tamen contrarij:

nam

nam omnes, qui verè sunt sensus scripturæ mystici, intenduntur ab Spiritu sancto, qui simul contraria affirmare nequit. Tertiæ confirmationi respondetur negando sequelam maioris: præcipua enim ratio certitudinis consistit in adimplerione sensus literalis: qua posita non est absurdum, si ignoremus utrum quoad omnes mysticos sit implera. Nec verò id est verum, quod ad improbationem adducitur, nimirum scripturam habere tot sensus mysticos, quot illi voluerimus applicare, ut constat ex dictis cap. præcedente.

V. Dico secundum, probabile est eundem scripturæ locum habere plures sensus literales, pro hac sententia refertur communiter à Doctoribus D. Thom. 1. parte quæst. 1. art. 10. videntur autem simpliciter occasionem ex verbis ultimis in corpore eius articuli, quæ sic habent. *Quia vero sensus literalis est, quem auctor intendit: auctor autem sacra scriptura Deus est, quia omnia simul suo intellectu comprehendit, non est inconueniens, ut dicit Augustin. 12. confess. si etiam secundum literalem sensum in una litera scriptura plures sint sensus; quibus verbis indicat eandem literam habere plures sensus non solum mysticos, sed etiam literales: præsertim cum utatur ad hoc testimonio D. Augustin. lib. 12. confess. ubi duos sensus literales admittit, ut patet ex dicendis. Verum contra hanc expositionem se offert non levis difficultas quia non est credendum Diu. Thom. sibi in eodem art. contradicere, contradicet autem si ita intelligatur; cum enim in primo argumento obiecit multiplicitatem sensuum parere confusionem, atque æquiuocationem, quæ à sacris literis remouenda est, respondet negando eiusmodi multitudinem sensuum facere æquiuocationem, quoniam non ita multiplicentur, ut una vox multa significet, sed ita, ut res ipsæ significatæ per voces aliarum rerum sint signa. Qua responsione supponit, si immediatè per voces multa significantur, dari confusionem, & æquiuocationem alienam à sacris literis: sensus autem literalis etiam de mente Diu. Thom. est, cum res significatæ immediatè per voces: atque adeo si sint plures, erit confusio, & æquiuocatio. Et ex solutione huius argumenti, ut inquit Syluest. in rosa aurea tract. 1. cap. 6. aliqui Thomistæ negant de sententia Diu. Thom. esse plures sensus literales: Alij verò affirmant, & respondent D. Thom. in solutione illa ad primum solum redde rationem multiplicitatis sensus lite-*

ralis, ac mystici, non vero plurium literalium. Verum hæc responsio non omnino satisfacit: quandoquidem omnis locutio sophistica abesse debet à Scriptura diuina; in argumento vero ex eo, quod sint plures sensus, arguitur æquiuocatio, ac fallacia: quapropter si Diu. Thom. ex eo negat æquiuocationem, & confusionem, quia omnes sensus fundantur supra vnum literalem, planè admittit æquiuocationem, si concedit plures sensus literales. Cum vero in corpore art. ait secundum sensum literalem in vna litera plures sensus contineri, non ita debet intelligi, quasi sensus ipsi literales plures esse possint, sed ita ut iuxta, siue congruenter ad vnum sensum literalem plures alij mystici contineri possint. Profecto dubium est, quænam fuerit mens Diu. Thom. mihi tamen cum communi sententia interpretum videtur eum admisisse plures sensus literales eiusdem loci: tum quia hoc ipsum docet, quæst. 4. de potentia, art. 1. tum vero quia 1. parte quæst. 1. eo ipso, art. 10. simpliciter docet esse plures sensus, alterum literalem, alterum mysticum, deinde vero ad finem quasi aliud de nouo addens subdit verba superius relata, ex quibus etiam id ipsum elicitur: in primis ex ratione, quia sc. *sensus literalis est, quem auctor intendit, & Deus omnia simul intelligit, si enim solum vult, ut sint plures sensus, vnus literalis, alij mystici, quorsum præmittit, sensus literalis est quem auctor intendit, Deus autem omnia intelligit, ad intentionem enim vnus sensus literalis, non opus est omnia intelligere; quare idcirco id præmisit, quia vult, ut vna litera contineantur plures sensus literales, quos omnes oportet ut intendat, atque intelligat auctor scripturæ, idem colligitur ex eo, quod non absolutè hoc asserit, sed solum dicendo, non est inconueniens, cum tamen initio articuli absolutè asserat esse plures sensus, literalem sc. & mysticos: præterea cum addit, si etiam secundum sensum literalem in vna litera sint plures sensus, terminus ille, etiam, idem valet ac si dicatur, non solum secundum sensum literalem ac mysticum, sed etiam secundum ipsum literalem sit multiplicitas. Ratio vero dubitandi soluitur dicendo primum illud argumentum solum procedere de multiplicitate sensuum alterius literalis, aliorum mysticorum, de qua ex infinitis agit Diu. Thom. quamuis per transennam addiderit etiam illud de sensuum literalium pluritate: & ideo sufficienter*

solui argumentum dicendo, non esse æquiuocationem, quando plura ita significantur, ut vnum significetur proximè per verba, reliqua remotè per res significatas: an vero quando plura per vocem significantur, sit semper æquiuocatio fallax, non dici à D. Thom. quandoquidem id non erat necessarium ad solutionem argumenti, & proprii instituti, an vero sit infra dicam.

VI.

Tam multa dixi de sententia S. Thomæ, quoniam inter Scholasticos ipse est huius sententiæ coriphæus, quem plures alij sequuntur: nempe Lyran. in 2. prologo bibliorum, Abulens. quæst. 57. in cap. 2. Matth. & quæst. 28. in cap. 13. & in cap. 18. Deuteron. quæst. 6. in cap. 24. Numer. quæst. 6. & 7. & sæpè alibi: Burgen. in addition. super vtrumque prologum Lyran. Syluest. in rosa aurea tractat. 1. cap. 1. regul. 3. & cap. 6. & 1. parte conflati, quæ. 1. art. 22. Caietan. 1. parte, quæst. 1. art. 10. Dried. Driedo, lib. 2. de sacra script. cap. 2. Castr. lib. 1. contra Hæres. c. 3. Sebastianus Oxomens. regula 10. de senibus scripturæ in fine. Salmeron prolegomeno 8. & 9. can. 11. Julius Rugerius opuscul. cit. cap. 10. Molin. 1. parte, quæst. 1. art. 10. disp. 3. Bellarm. & Bann. vbi supra, conciliat autem magnam huic sententiæ probabilitatem, auctoritas D. Augustin. lib. 12. confels. cap. 30. ac 31. & præcipuè, cap. 28. vbi sic habet: *Deus per sermonem vnum in literis sacris plerumq; nō vnam solum, sed plures etiam literales voluit significare sententias.*

VII.

Fundamenta huius sententiæ sunt ferè opposita fundamentis contrariæ, in primis autem id, quod Michaël de Medina ait fuisse occasionem eius: nempe quia ex eodem loco sumuntur argumenta ad diuersa fidei dogmata stabilienda: solus autem sensus literalis ad hoc inseruit. Secundò quoniam nullum est absurdum, aut repugnantia in hac sententia: ea vero redundat in maiorem gloriam Dei, auctoritatem scripturarum, & fructum populi Christiani: meritò ergo ita credere debemus. Maior propositio patet quoniam Deus est infinita præditus sapientia, & vnica ratione potest plures sententias indicare: nam, si rebus plura figuratè significat, cur non poterit vocibus totidem significare, si ciuitas Hierusalem significat Ecclesiam, animam nostram? & cœlestem patriam, quo exemplo vitur Diu. Thom. 1. parte quæst. 1. art. 10. & alij doctores communiter ad ostendendam multiplicatè sensuum spiritualium, cur etiam vox Hierusalem, non poterit eadem immediatè

significare, alia quidem propriè, alia metaphoricè, nō enim semper in sensu literali sumitur pro terrestri, ut patet in Apoc. 21. *Vidi sanctam Ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo; vbi ad literam sumitur pro Ecclesia primitiuorum, si sponsa figuratè significat Ecclesiam vniuersam, & vnamquamque animam, cur vox, sponsa, hæc eadem simul immediatè non significabit? Nec vero in hoc significandi modo est vlla deceptio: tunc enim multiplex vocabulū est sophisticum, ac deceptorium, cum in vno sensu conceditur à respondente, & in alio sumitur ab arguente ad eum cauillandum: at si loquens vtrumque sensum intendat, tunc sub vtrolibet accipipotest eius assertio ab audiente absque præiudicio veritatis, & periculo deceptionis: & ita constat sententiam affirmantem nō continere vllum absurdum. Iam vero hanc fecunditatem scripturæ quoad sensus literales magis decere gloriam Dei patet: quoniam, quicquid Deo attribuiamus supra communè vsum mortalium, magis dignū censeri debet, auctoritas vero scripturarū maior est, si eas æstimemus omnes tamquā viuū sapientiæ thesaurum, siue etiam fontem iugi diuinarum sententiarū vena scaturientem: hoc enim ipso maiori venerationi habetur, quo plures sensus latent iuxta dictum August. lib. 12. confels. cap. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens, sed mira profunditas Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris; vtrumque indicasse videtur, Dan. 12. claudite sermones, & signa librum Daniel. 12. vsq; ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia, quem locum ita interpretatur Hieron. ut dicat idcirco præceptum à Deo esse prophetæ, ut inuoluat sermones, & signet librum ut legant plurimi, & quarant historie veritatem, & propter obscuritatis magnitudinem diuersa opinentur, & tamen Propheta ait, multiplex erit scientia, quod Hieronymus interpretatur de inquisitione veritatis historice, siue sensus literalis: quare, si hæc scientia est, vera vtique erit: nam falsum sensum nequaquā appellat prophetæ scientiam: cadit ergo in eundem locum scripturæ multiplex sensus historicus. Denique vtilitas magna est Ecclesiæ dū pluribus à Deo sententijs paucis sermonibus eruditur: quo discendi ardor accenditur, & fructus vberes intelligentiæ proferuntur.**

Vt autem Maior huic sententiæ accedat auctoritas facit vsus Patrum, qui plures eiusdè loci sensus tradunt, & quamuis,

Lyran.
Abulens.
Burgenfis.
Syluester.
Caietan.
Dried.
Castro.
Oxomens.
Salmeron.
Ruger.
Molina.
Bellarm.
Bannes.
August.

S. Thom.

VIII.

vt superius obseruauimus, ex hoc præcisè capite nō sumatur irrefragabilis autoritas, quoniam studio inquirendæ veritatis propter obscuritatem loci poterant varias interpretationes adhibere, vt ita tandē verum, germanumque sensum attingerent: tamen duo sunt, ex quib. efficax ducitur argumentum: alterum est, si patres cōmuniter vnū aliquē locum secundum duplicem sensum accipiant: nam cum ex pcepto Ecclesiæ, vt infra dicam, scripturas teneamur interpretari iuxta cōmunem Patrū expositionem, nihil in ea falsi reperiri debet, alioquin erraret Ecclesiā præcipiendo, vt eorū interpretationes amplectamur; alterum apud plerūque efficax est, si vel Ecclesiā in definitione dogmatū, vel patres in eorundē confirmatione vtantur eodē loco, modo sub vno sensu, modo sub alio, dixi apud plerūque, quoniam licet sit sententia D. Tho. & aliorū ex solo sensu literali posse sumi argumentū fidei irrefragabile, tamē alij volūt etiam sumi posse ex mystico, qua de re inferius dicam: porro cum Salmer. prol. 8. de sensu literalī & spirituali scripturæ Gabriel. Vafq. i. p. disp. 18. & alij diligēter expendierint, q̄ nam loca duos sensūs admittant, vel ex ipsius scripturæ, vel ex patrum interpretatione, non est cur ijs repetendis immorer, solum aduerterim nonnulla loca esse, quorum sensus à diuersis assignati, si à Spiritu S. intenti sunt, nō possint ita distinguī, vt alter sit literalis, alter mysticus, cuiusmodi est locus ille Gen. 1. *In principio creauit Deus celum, & terrā*, cuius interpretatio fuit occasio D. Aug. li. 12. confess. tam fusè disputandi de vero sensu literæ ab Spiritu S. & scriptore sacro intento, nam oēs quos numerat c. 20. & 21. si in eum locū quadrāt literales sunt, nec vllus alterius figurā continet, idem patet in sententia Esai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* quæ de generatione æterna verbi, & de temporali Christi à patribus intelligitur, & aliter etiam à recentioribus, at nec æterna generatio est figura temporalis, neque hæc illius.

Hanc sententiam quidam recentiores ita téperandā cēsent, vt sensus literales nō sint nimīū diuersi, & parū cohærentes, hoc n. potius est vitium scriptoris, q̄ doctrinæ fecunditas: deinde vero ita, vt omnes sint ab scriptore sacro intellecti, atque intenti. Mouentur autem quoniam scriptor sacer non est amanuensis, qui solum dictata excipit, non percipiens mētem dictantis, sed ipse suas cōceptiones exprimere voluit: & ad hunc sensum verba vsurpauit, cuius oppositū accidisset, si in totum, vel in partem laterent eum sensus literales à Spiritu S. in-

terat in sensu mystico hoc nō est necessarium, quandoquidē sat est scriptorē intelligere res, quæ immediatē significantur per verba, q̄ quis ignoret ad quid amplius significandum à Spiritu S. dirigantur. Quæ quidem cōditiones, et si rationabiles appareāt, nō videtur necessaria, & ita priorē respuit Salmeron. vbi supra, & Syluest. ex doctrina Burgenf. cit. i. parte conflat. q. i. ar. 22. circa sol. ad 1. & in rosa aurea tract. i. c. 6. admittit plures sensus literales per dictionē meræ æquiuocam; nec illā adhibent alij doctores, qui absq; addito dicunt eundē locū habere posse plures sensus literales, nec est ratio cōuincens, nam si plures sensus literales admittūtur, opus est vt eadē voces immediatē determinētur ad obiecta per se diuersa, nec cōuenientia in communi significatione eiusdem nominis aliquo modo vna, hic n. modus significandi poti⁹ habet vnū sensum analogicū, q̄ plures itaq; ad rationē plurium sensuū opus est vt obiecta significantur, non solū quatenus cōueniunt, sed etiam quatenus differunt, verbi gratia cum dicitur Isai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* significatur vtraq; generatio Christi æterna, & téporalis, non solū secundum rationē analogicā generationis, sed etiā vnaquæque secundum suam propriam, eodēq; modo quæuis alia omnino diuersa significari possūt iisdē scripturæ verbis, dūmodo tamen contineantur in significatione vocū propria, vel metaphorica, & ita Salmeron. vbi supra, notat vnā ex radicibus multiplicationis sensuum literalium esse diuersam, & æquiuocam significationem verborum Hebraicorum. Cur enim, si verba sint æquiuoca non poterit Spiritus S. vt simul vtraq; eorum significatione? sane nō video in hac re vllam repugnantiam, aut indecētiā, nec est vitium vllum plures sentētiās diuersas iisdē verbis occulere, hæc enim est vna ex causis, cur testimonia Dei sint mirabilia, vt ea vocat propheta, Psal. 118. qui etiā subdit, *ideo scrutata est ea anima mea*, nam profunditas, ac fecunditas scripturarum ad studium, & contemplationem ipsarum inuitat.

Posterior quoq; conditio nō est vnde probetur necessaria. Quæuis n. fieri potuerit, vt scriptor sacer plures sensus intellexerit, vt sumitur ex Augustin. toto illo ferē libro 12. confess. maximè cap. 31. tamen nō apparet vlla necessitas, vt docet Syluest. in rosa aurea tract. i. ca. 2. & D. August. cit. lib. 12. confess. postquam c. 31. probabiliter asseruit Moysē puidisse oēs illos sensus veros de quib. erit controuersia, ne videretur in hoc cōstituire rationē sensus veri-

Salmeron.
Syluester.

Salmeron.

Psal. 118.

X.

Syluest.
Augustin.

literalis, subdit capit. 32. sequente. *Postremo Domine qui Deus es. & nō caro. & sanguis, si quid homo minus videt, nunquid & spiritum tuum bonum, qui deducit me in terram rectam, latere poterat, quid quid etas in eis verbis tu ipse reuelaturus legentibus posteris, etiam si ille, per quem dicta sunt, vnam fortassis ex multis veris sententiam cogitauit.* Similia docet lib. 11. de ciu. cap. 19. Attipulatur autē ratio Augusti. nā vel hoc requiritur ad rationē reuelationis, vel ad autoritatē scriptoris, vel ad aedificationē, ac certitudinē nostram, non ad primū, nam doctores cōmuniter asserunt, & aduersarij admittunt plerōq; sensus mysticos latuisse scriptorem sacrum, nec proinde nō desinunt esse reuelati ex intentione Spiritus Sancti; non ad secundum quoniam, vt scriptor facer non dicatur simplex amanuens, sate est si vel vnum sensum intelligat, qui proinde principalis sit, vt ait D. Augustin. loco proxime citato: nec derogat auctoritati scribæ, si non omnia prorsus arcana, quæ literis continentur, intelligat, dummodo præcipui negotij notitiam habeat. Deniq; ad aedificationē, & certitudinē nostrā parū id facit, quandoquidē principiū firmū totius certitudinis veritatū reuelatarū nititur prima veritate per suos internuntios loquente; atq; adeo, siue illi intelligat, siue non, dummodo sententia proponatur à Deo reuelata certissima est, quin vero esto ponant eos intelligere, quid id nobis prodest, quibus incertū est, utrū intellexerint, nec ne. Itaq; sic existimo, p̄babile scriptorē sacrum sensus oēs literales percepisse, eosq; verbis suis exprimere voluisse, vt nihilo minus non necessarium, sed solum cōgruū existimem: quia, cum id Deo fuerit facillimū, & magis optandū & accōmodatū officio scriptoris sacri, ita factū fuisse videtur.

XI.

Primum argumentū Medina conciliat aliq̄ probabilitatem sententiæ affirmanti; Verū quia oppositæ sententiæ autores negant ex sensu mystico sumi efficax argumentū fidei, dicent omnia loca, q̄ adducuntur, non explicari cōmodē in sensu mystico, pro qua re consulendus Salmer. vbi supra. Deinde quis cum Medina concedatur ex sensu mystico sumi efficax argumentum fidei modo explicādo ca. seq. adhuc responditur loca aliqua habere duplicē sensum quorū neuter est mystic⁹, vt supra dixi. Ad secundū patet solutio ex dictis, nā scriptor, qui sensum aliquē literale agnoscit, non est purus amanuens. Ad tertium negādū est antedēdēs, est. n. maxima vtilitas ex multiplici sententiā Spiritus S. vt tali recepta à populis ex interpretatione, & doctrina pastorum, & doctorū Ecclesiæ. Quamuis autē inter-

ueniat equiuocatio, & propterea nonnullū dubiū de vero sensu, non est noua res in sacris literis, vt propter earū profunditatem nō possint interpretes de vero semper intellectu eius cōuenire, & quod ex obscuritate nasci permittit Deus ad acueūdū studiū, & pariendas multiplices expositiones, vt ait Hieron. in c. 12. Dan. cit. quid mirum, nasci quoq; voluerit ex multiplicitate sensuū coniuncta cum aliqua æquiuocatione, quanq̄ vero ea non est propria æquiuocatio, q̄ ad sophistram pertinet, & q̄ proprie dicitur fallacia æquiuocationis, vt rectē notat Syluest. ca. 6. citat. nam hæc proprie tunc interuenit, cū enūciatio est in vno sensu vera, in altero falsa, ex quo p̄betur occasio errandi, quando vero uterq; sensus est verus, & coherens textui, nō inducit ambiguitatem, sed auget intelligentiā, si uterq; recipiatur. Solutio vltimi argumēti postulabat, vt expēderentur ea loca, q̄ ab authoribus sententiæ affirmantis dicuntur habere plures sensus literales, sed quoniam, vt dixi, hoc cum laude alij p̄stiterunt, & potius ad interpretem sacre scripturæ, quam ad Theologū pertinet, hoc labore superfedeo: sunt enim, vt apud citatos auctores videre licet, aliqua loca, quæ vix, aut nullo modo aliter explicari possunt, quam admittendo duos sensus literales.

Ex quo sensu sumi possit firmum argumentum Theologicum.

CAPVT V.

Nunc vidēdum, vtrum omnes hi sensus, an vero aliquis, & quīdam sita-
prus ad disputationes Theologicas. Michael Medina lib. 6. de recta in Deum fide c. 25. existimat etiā sensū mysticū, siue spirituale adhiberi posse ad cōfirmanda dogmata: fundamētū est quoniam scriptura sub omni sensu vero, & intento à Spiritu S. adhiberi potest ad cōfirmationem veritatis: sensus autē mysticus est verus, & à Spiritu S. intentus: quare inferuire poterit ad discursus Theologicos. Deinde vero probat ex vsu. Multi frequenter argumenta sumētis ex scripturæ sensu mystico: vt i. ad Cor. 9. nam cum ratione prius suasisset prædicatorem Euangelij alendum ab ijs, quibus prædicat, subdit. *Nunquid secundum hominem hæc dico, an & lex hæc non dicit. Scriptum est enim in lege Moyse. Non alligabis os bovis trituranti: nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtiq; hoc dixit? nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in*

spe, qui